
XIIth century

habitatur. perfecto uirtutibus non ditatur.
Propter hoc ergo quod interius est uacuus dicitur
non inhabitatur. propter hoc uero quod transitorie foris tumet. recte subiungitur. Nec perseuerabit substantia eius.
Acsi aperte dicat. Hoc quod habere uidetur exterius transit. et illud quod transire non poterat interius non habet.
Unde et apte adiungitur. Nec mittet in terra radicem suam. Quod si de bactra dictum accipimus. liquet procul dubio quia arbor que in terra radicem non habet. uel tenuissimis commota flatibus cadit. Et superbus quisque dum contra omnipotentem dominum roboratur. dum currit erecto collo. et pingui ceruice contra auctorem erigitur. stare quasi arbor uidetur. sed stat eius sine radice est. quia uelut ad lenem flatum. sic ad motum occulte sententie uita eius eruitur. Sin uero hoc loco terram eterne uite retributionem accipimus. de qua propheta canit. portio mea in terra uiuentium. iniquus iste in terra radicem suam non mittit. quia nunquam ad eterne uite desiderium cordis sui cogitationem plantat. Quod enim radix arbori. hoc unicuique hominum cogitatio sua est. quia in eo quod exterius uidetur. per illud tenetur quod interius non uidetur. Unde et per prophetam dicitur. Mittet radicem deorsum. et faciet fructum sursum. Cum enim cogitationem nostram ad compatiendum indigenti proximo tendimus. quasi radicem deorsum mittimus. ut retributionis fructum superius faciamus. Sequitur. Non recedet de tenebris. Si superbus iste a culpa ad iustitiam redire uoluisset. de tenebris recederet. sed quia lucem iustitie non querit. de tenebris non recedit. Cuius etiam exemplo hi qui ei adherent in terrenis profectibus anhelant. auaritie

facibus accenduntur. desideriorum carnalium ignibus uruntur. Unde et subditur. Ramos eius arefaciet flamma. Si enim sibi quosdam eternam patriam querentes adiungeret. ramos in se uirides haberet. sed quia ipsi quoque qui ei coniuncti sunt terrenis desideriis estuant. dum desideriorum flamma clientum eius animos accendit. scilicet ramos eius arefacit. ut fructum boni operis non ferant. quia ad appetenda infima pro nequitia anhelant. Bene autem subditur. Et auferetur spiritu oris sui. Superbus et enim quisque qui in hac uita plus ualet eo sibi lingue frena audacius relaxat. ut loquatur peruersa quelibet. nullum de uerbis suis metuat. istos contumeliis feriat. illos maledictionibus iaculetur. Nonnunquam uero in blasphemiam contra conditorem rapitur. sicut de talibus
DD. per psalmistam dicitur. Posuerunt in celum os suum. et lingua eorum transiit super terram.
DIVES Unde et diues in igne positus. stillari sibi aquam ex digito lazari in lingua postulabat. Qua ex re intelligitur quia ubi amplius peccauerat. ibi atrocius ardebat. Recte ergo nunc dicitur. et auferetur spiritu oris sui. quia percussionis sententiam eo accepit. quo oris sui spiritum sub diuina formidine non restrinxerit. Sequitur. Non credit frustra errore deceptus. quod aliquo pretio redimendus sit. Quotiens pro culpa elemosinas faciunt. quasi prauis actibus pretium dant. Unde et per prophetam de eo
PROPHETA qui hec non agit dicitur. Non dabit deo propitiationem suam. nec pretium
ELEMOSINA redemptionis anime sue. Nonnunquam uero diuites elati inferiores opprimunt. aliena rapiunt. et tamen quasi quedam aliis largiuntur. Et cum



multos deprimant. aliquando quibusdam
opem defensionis ferunt. & pium
quitatibus quis nunquam desert dare pre
tium uident. Sed et elemosine pre
tium nos a culpis liberat. cum perpe
trata plangimus. & abdicamus.
Nam qui & semper peccare uult. & quasi
semper elemosinam largiri: frustra
pretium tribuit. quia non redimit animam
quam a uitiis non compescit. Unde nunc
dicitur. non credit frustra errore decep
tus quod aliquo pretio redimendus sit.
quia elemosina superbi diuitis eum
redimere non ualet. quam perpetra
ta simul rapina pauperis ante
dei oculos ascendere non permittit.
Quod fortasse intelligi & aliter po
test. Quia sepe superbi diuites & cum
elemosinam tribuunt. non hanc
pro eterne uite desiderio. sed pro ex
tendenda uita temporali largi
untur. morte se posse differre
dationibus credunt. Sed non credit
frustra errore deceptus quod aliquo
pretio redimendus sit. quia optine
re ex impenso munere non ualet
ut finem debitum euadat. cui etiam
nequitia intercidit uitam. Unde & sub
ditur. Antequam dies eius impleantur
peribit. & manus eius arescet. Prefixi
dies singulis ab interna dei prescien
tia. nec augeri posse nec minui.
Non contingat ut ita preciantur:
ut aut cum optimis operibus longio
res sint. aut cum pessimis breuio
res. sic ezechias augmentum dierum
meruit impensione lacri
marum. Et sicut de peruersis scrip
tum est. Indisciplinatis obuiat mors.
Sed sepe iniquus quamuis in oc
culta dei prescientia longa uite
eius tempora non sint predestinata.
ipse tamen quia carnaliter uiuere
appetit. longos animo dies prepo
nit. Et quia ad illud tempus peruen
ire non ualet quod expectat: quasi an
tequam dies illius impleantur perit.
Quod tamen intelligere & aliter possu
mus. Plerumque enim quosdam cernimus
& peruerse agere. & usque ad senectu
tem ultimam peruenire. Quomodo enim
dicitur. antequam dies eius impleantur peribit.
cum in quibusdam sepe uideamus quia eta
te longa iam menbra deficiunt.
& tamen prauitatem suam eorum desideria
exequi non desistunt. Sunt namque non
nulli qui per uitam perdita ad semet i
psos redeunt. & accusante se con
scientia peruersa itinera relinquunt.
Commutant opera. antique sue pra
uitati contradicunt. terrenas acti
ones fugiunt. desideria superna
sectantur. sed postquam in eisdem sanctis
desideriis solidentur pro torporem
mentis ad ea que diiudicare ce
perant redeunt. atque ad mala que
fugere disposuerant recurrunt.
Quia enim sepe contingit ut per utilita
te multorum etiam sancti uiri exterio
ribus actionibus seruiant. & populorum
gubernationibus occupentur. hoc
infirmi aspicientes. & per uetustam
adhuc superbiam querentes imita
ri exterioribus se actionibus inse
runt. sed quanto ad eas non erudita
spiritualibus ueniunt. tanto eas carna
liter exequuntur. Nisi enim prius cor
longo studio & diuturna con
uersatione in desideriis celestibus
conualescat. cum ad exteriora a
genda refunditur. ab omni statu bo
ni operis eradicatur. Unde & recte
quoque de hoc iniquo dicitur. antequam dies eius
impleantur peribit. quia & si quid boni
fortasse agere cepit. postquam in eo
per longitudinem temporis conuale
scat

